



# Disputatio juridica inauguralis de tutelis

<https://hdl.handle.net/1874/341896>

D I S P U T A T I O J U R I D I C A  
 I N A U G U R A L I S,  
 D E  
**T U T E L I S,**

<sup>Q V A M,</sup>  
 P R A E S I D E D E O O P T . M A X .  
*Ex auctoritate Magnifici Rektoris,*

**D. JOANNIS LUYTS,**  
 Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
 Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimâque  
 Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

**P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,**  
 Summisque in UTROQUE JURE honoribus &  
 Privilegiis ritè, & legitimè consequendis,

*Eruditorum Examini subjicit*

**GULIELMUS CRAEVANGER,** Haga-Batavus.  
*Ad diem 13. Aprilis, hora locoque solitis.*



**T R A J E C T I ad R H E N U M ,**

---

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
 Typographi, clc Ioc LXXXVIII.

*Consultissimo, ac maximè Venerando  
Domino,*

**D. G U L I E L M O**  
**C R A E Y V A N G E R,**  
Nomine Potentissimæ Gelro-  
rum Provinciæ, apud Con-  
fessum Fœderati Belgii, ad acta  
Publica Commissario, ac va-  
riarum Legionum militarium  
**Quæstori, Parenti ac Mecœ-**  
nati meo unico, in æternum  
colendissimo, omni filiali pie-  
tate ac obsequio prosequen-  
do,

*Hasce Theses inaugurales, gratissimo,  
ut par est, animo,*

*Offert & inscribit*

**G U L I E L M U S C R A E Y V A N G E R, Junior,**

*M D C X X X I accl. dcl. Ingangorum Autb. & Rep.*



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

D E

# T U T E L I S.

T H E S I S I.



Uamvis, nostro more, Tutelæ & Curae nomina promiscua sint, ac utriusque officia cohærent; Romanæ tamen Leges ea habuere magno discrimine. Quas imitati Tutelam hoc modo definimus, Quod sit vis ac potestas in capite libero, ad eum tuendum, qui se per statem defendere nequit, jure Civili data ac permissa.

§. I. Tit. 13. Inst. lib. I. Pro vis, non legimus, *jus*, cum Theophilo; nec duo vocabula, *vis*, *potestas*, synonymicè, cum H. Donello 3. com. I. Verum ut *Potestas* facultatem, sive *jus pro auctoritate quid faciendi* statuendive denotat, ita *Vis* exercitium hujus facultatis, cum effetu.

A 2

II. Ver-

## 4 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

### I I.

Verba, *In capite libero*, ad Tutorem referunt nonnulli, nos autem potius ad pupillum, pro *in caput liberum*, ut *vetus locutio* est. *Caput liberum* hominem liberum designat, sive eum, qui sui juris est, ut Cicero 4. *Verrin.* *Hic de capite libero judicabit.* *Ad tuendum eum*, nemp̄e, ut tutoris officium indicetur, principaliter personæ, non certæ rei vel causæ dati, & simul ejus præcipuus finis, ut is ad utilitatem pupillorum unicè dirigatur, quam in patriâ vel dominicâ potestate ad patris vel domini commoda totum jus comparetur. *Qui per ætatem se defendere nequit*) Quo modo Tutela distinguebatur à curâ, quæ ob alias causas, quam ætatem, obtinuit, uti in furiosis, prodigiis, perpetuo morbo laborantibus luculentè appetet. Clausula hæc, *Jure Civili data ac permissa*, non inanis est; Datur enim Legitima immediatè à XII. tab. lege, & quæ prius ex Testamento vel à Magistratu data est, ab eadem lege *permittitur*. Ac, licet jure gentium conveniens sit, ut pupillus ab aliis regatur, Tutela tamen, quoad formam & effectus, verè juris est Civilis.

### I I I.

Tres Tutelæ species recensentur, *Testamentaria*, *Legitima*, *Dativa*. *Ista*, quâ pater libris impuberibus, in potestate constitutis, testamento vel Codicillis, tutorem dat, §. 3. *Inst. b.t.* sive institutis, sive exheredatis, l. 4. 10. §. 2. l. 31. ff. *de Test. tut.* *Ant. Fab. in jurispr. Papin. tit. 14. pr. I. illat. II.* Idque ex patriâ Potestate Romanis propriâ. Sive etiam natis, sive posthumis, §. pen. *inst. b.t.* Quid si, præter Parentem, alias dederit, tutor à Prætore confirmandus est. §. *fin. ib.* Et quidem in matre hoc speciale, quod non confirmetur ab eâ datus Tutor, nisi filius sit heres institutus, l. 4. ff. *de Test. tut.* vide *Ant.*

## I N A U G U R A L I S. 5

*Ant. Fab. ibid. illat 30. Præterquam, quod in hunc Tutorem inquiratur de moribus & facultatibus, l. 1. §. 1, 2, 3. l. 2. ff. de confirm. tut.*

### I V.

Apud nos, quum pupillorum utile scripturæ testamenti præferatur, l. 10. ff. d. t. in quemlibet Testamentarium inquiritur; ac ubi coram Magistratu pupillari tabulæ sunt exhibitæ, auditis pupilli proximis, onus suum, sub fidelitatis juramento suscipit, ac decretum confirmatorium petit Tutor. Hoc unicūm mansit, ut Testamentarius omnibus aliis præferatur l. 11. ff. de Test. tut. & Novell. 118. cap. 5. Imò eo usque à nostratis, ut in locum testamentarii defuncti, surrogetur idoneus ab ordinario judice, qui æquè testamentarius manet, semel exclusa legitimâ vel dativâ.

### V.

*Legitima tutela Veteribus erat prima Agnatorum; ex ipsis verbis XII. Tabularum: Si paterfamilias intestato moritur, agnitorum gentiliumque in ipsis pupillis eorumque pecunia ius esto. Cujus ratio naturalis in jure sanguinis, & Civilis in spe successio- nis sita est. Propter Civilem hanc rationem Imperator, Nov. 118. & proximis cognatis per seminas tutelam detulit; sublatâ juris agnatici & cognatici differentiâ. Præsertim, quum, ob causas similes, & patronis in impuberis libertos, & parentibus in liberos emancipatos, ut & , iis mortuis, fratribus conferret; Quum non minus ex lege sit, quod è mente ejus per interpretationem, quam quod ex ipsis verbis colligitur. l. 3, 4. ff. de legit. tut. Inst. eod. tit.*

### A 3

### VI. Hæc

## DISPUTATIO PURADICA

V L.

Hæc Tutela nostris moribus fermè tota Dativa est , & non ipso jure delata : in quâ conjugum superstes , vel eo deficiente , proximior intra certum tempus , indicato parentum obitu , à pupillari magistratu petit pupillo prospici . Ut tamen , in delectu , proximiorum & seniorum , si idonei , potior ratio habeatur . Præcipue parentum . Ipsa mater & avia tutrix sit , dum ad secunda vota non transit , *Auth. Sacramentum C. quando mul. tutelle officio.* Licet vitrico subinde tutela deferatur , post inquisitionem , l. 2. *C. de interdict. matrim. inter pupill.* Ac insuper eadem mater & avia , si statuta municipalia id velint , antè admissionem , SCto Vellejano renunciare debent , *Auth. matr. & avia. C. Quand. mul. tut. off. Grot. introd. lib. I. cap. 7. num. 19.* Quin quod ipsa mater minorenneis , quæ olim , ut alia , erat in perpetuâ tutelâ , licet nondum perfectæ sit ætatis , ac blanda matrum segnes faciat indulgentia natos , juxta proverbium , quum nomen ejus reverendum sit , & apud nos post mariti mortem , in patris potestatem non redeat , ad tutelam admittitur . Ut in illustri causa *Principis Auriace* viduæ decissum à supremâ Hollandiæ Curiâ 29. Julii 1651 , ut antè à Provinciali Curiâ , 31. Maii ejusd. anni .

V II.

*Dativa* Tütela , ubi nec Testamento nec jure quis existit , à Magistratu , cui id in specie concessum est , proficiscitur . Lex Attilia hoc in urbe prætori urbano , & majori Tribunorum parti tribuit : Lex Julia & Titia , in provinciis , præsidibus . Tempore Claudii Consules , deinde Antonini prætor tutelaris , tandem Justiniani , Defensores Civitatum cum Episcopo , vel magistratus alii huic officio mandando operam navabant . Si pupillus Clarissimus , in Urbe ex ordine Senatorio , vel equestri à præfecto

# I N A U G U R A L I S. 7

fecto Urbi, in consilium adhibitis decem senatoribus & prætore tutelari, unus idoneus solenniter dabatur; in provinciis à præside, ex decreto Decurionum. v. *Cujacium in parat. C. de tmor. & curat. illustrum vel Clariss. personarum.*

## V. I. I. I.

Ad Tutelam non vocatur miles, utpote ex privilegio, & ob publicam utilitatem; servus, uti indignus; infans, uti incapax. Neque prodest pupillo, ut debitor vel creditor, adversarius in lite, bona ejus possidens, vel coheres, vel qui in alieno degit territorio, vel suspectus tutelam gerat. Ipsa natura, surdos, mutos, cecos, perpetuo morbo obnoxios, minores, furiosos, prodigos, & imbecilem sexum arcet. Quumque tutor justam habeat causam, v.g. liberorum numerum, fisci curam, imperitiam, capitales cum defuncto inimicitias absque reconciliatione, & similes æquè graves, vel graviores, æquum visum fuit eum excusare, *vid. torum Tit. Inst. de excusat. tut. vel Curat.*

## I. X.

Ubi hoc onus suscepit Tutor, & quomodo sit administratur, tam personam pupilli quam bona, & de quâ culpâ tenetur, accuratè noscat, oportet. De culpâ tamen levissimâ securus fit, l. 10, 23, 32. §. 2. ff. de adm. tut. nam rerum alienarum cura difficultis, Cic. i. de offic. & hoc officium non ex voluntate, sed necessitate suscipitur. Imo sufficit patrifamilias in alienis ea diligentia, quæ requiritur in suis. Olim finitâ tutelâ, ejus nomine poterat agi l. 4. ff. de Tutele & rationib. distractib. Nostris verò moribus ferè singulis annis. Quod primum in recessu August. anno 1548. à Carolo V. statutum, nunc ubique tenet. *Grot. introd. lib. I. part. 9. num. 18.*

## X. De-

## 8 DISPUT. JURID. INAUG.

X.

Deponitur idem onus , uti morte naturali & civili , tam pupillorum , quam Tutorum; ita tempore finito in iis , qui ad certum tempus Testamento constituti sunt : ætate pupilli legitimâ , pro cuiusque gentis more , in quâ annus non inceptus , sed completus esse debet , l. 1. §. 2. & l. 3. §. 3. de minor . & l. 134. ff. de Verb. signif. Vel ejus ætatis venia rite impetratâ ; vel denique matrimonio legitimè contracto , uti pleraque patriæ nostræ statuta volunt.

F I N I S.

